

No. 15. 1325. 20. Apr.

König Johann von Böhmen erneuert der Stadt Pirna, deren Privilegienbriefe durch Feuer zerstört worden sind, die vordem durch Markgraf Heinrich von Meissen ertheilten Rechte und Freiheiten, namentlich die Niederlage und Ladung, die Zollrolle, sowie Bestimmungen über Ausübung der Gerichtsbarkeit und über das Marktrecht.

Nos Johannes dei gratia Boemiae et Poloniae rex ac Lucemburgensis comes ad universorum tam praesentium quam futurorum notitiam volumus tenore praesentium pervenire, quod cum nos ad regiae celsitudinis apicem divina favente gratia evocati universos nostrae ditioni subditos ab indempnitatibus et periculis praeservare et eorum dispendiis ex suscepti culminis officio pie succurrere teneamur, nos ad ea ex quibus fidelium nostrorum civium Pirnensium commoditates et profectus surgere credimus opportunos sollicitae mentis nostrae aciem dirigentes ipsis super eventu infortuito, quo eorum privilegia civitati nostrae Pirne per illustrem principem quondam dominum Henricum marchionem Misnensem data et concessa iura eorum expresse cum nonnullis gratiis et libertatibus continentia ignis voraginem repentini absorbuisset fideli eorum testimonio didicimus, de nostrae benignitatis gratia duximus provide succurrendum. Volentes itaque ipsos cives nostros ac eorum in praedicta civitate nostra successores iuribus libertatibus ac consuetudinibus quibus hucusque freti sunt in antea perfrui et gaudere, ipsis infra scripta omnia et singula, ut ea pro iuribus libertatibus gratiis ac statutis habeant perpetuo et ex eorum concessione amplius proficiant, concedenda duximus liberaliter et donanda, quae talia sunt: Videlicet quod de ipsa civitate nostra nobis heredibus ac successoribus nostris regibus Boemiae annis singulis deinde sibi succedentibus titulo census perpetui seu exactionis viginti quinque marcae argenti Friebergensis ponderis in festo beatae Walpurgis et totidem marcae praedicti ponderis in festo beati Michahelis tunc subsequente proxime debeantur, ipsa civitate a quibuslibet aliis nostris regiis vexationibus perpetuo absoluta, quodque mercium exoneratio ac earum oneratio, quae vulgariter niderlag et ladung dicuntur, in ipsa civitate nostra Pirna iuxta consuetudinem hucusque servatam remanere debeant [et] perpetuo haberi. Quarum quidem exonerationis ac onerationis praedictarum fructus in maiori theloneo Meidburgensi de navibus sursum navigantibus oneratis et Pirnensi portui applicatis consistit hoc modo, quod de sale sursum ducto in navibus dentur pro theloneo semper de centum mensuris salis, quae soch dicuntur vulgariter, triginta sex denarii qui pfundische phenninge dicuntur, quorum relinquuntur in theloneo in Misna duo denarii, triginta quatuor denariis remanentibus theloneo praenotato. Item de magna nave ad plenum onerata ascendente dentur ad cambium tres marcae argenti usualis, si autem talis non est ad plenum onerata, eidem fiat gratia conveniens in cambio praenotato. Evacuatis autem huiusmodi navibus si nauta vel nauclerus earum pro illis bonis comparaverit lapides ligna vel quaecumque mercimonia ad inferiores partes duxerit, nihil dabit, si autem alter inpositis huiusmodi navibus mercimoniis quibuscumque praeter lapides et ligna duxerit eas infra, theloneum suum dabit. Item navis ex novo in litore constructa si ducit lapides vel ligna inferius, nihil dabit,